

creatae, ut iste actus divinus : si viderem Adamum peccatum, incarnarer; vel ab aliqua conditione, quae Deo est immediate libera, ut hic : si crearem alium mundum, crearem tot angelos. Scientia horum omnium conditionatorum dicitur, et est scientia media; sed tamen scientia conditionatorum creaturis immediate liberorum *scientia media directa*, et de hac disputatur inter Thomistas et Nostros : scientia vero conditionatorum Deo immediate liberorum dicitur *scientia media reflexa*, et de hac etiam controversia est inter Nostros. Porro scientia media *proprie reflexa* vocatur ea, quae pro conditione habet aliquid, quod voluntati creatae est immediate liberum; quia cum hoc sub conditione propositum sit objectum scientiae mediae directae, scientia divina illud attingens tanquam conditionem supra scientiam mediam directam reflectit; hoc vero cum non fiat in conditionato, cujus conditio est decretum divinum seu actus Deo immediate liber, hinc scientia illa proprie et sub illo respectu non dicitur reflexa; quamvis simpliciter adhuc reflexa recte appelletur, eo quod per illam Deus reflectat super actus proprios per modum conditionis importatos.

ARTICULUS II.

AN DETUR IN DEO SCIENTIA MEDIA DIRECTA?

146. *Nota.* Vocabulum scientiae mediae, quod an. 1566. primus in scholas. induxit P. Petrus FONSECA, S. J. Theologus, ejusdem discipulus P. Lud. MOLINA an 1589. typo mandavit in Libro, quem inscripserat : *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia et praedestinatione.* Operi huic, quod primum in materia Theologiae scholasticae a Scriptore Societatis typis vulgatum est, litem non solum de nomine, sed de re ipsa et doctrina movit P. Dominicus BANNEZ, Praedestinationum physicarum auctor, cum aliis e sacra Patrum Praedicatorum familia DD.; unde ortum duxerunt celebres de Auxiliis congregationes, quarum series et exitus sub Summis Pontificibus Clemente VIII. et Paulo V. in Urbe habitatum in Tr. de gratia exponitur. Controversiae cardo in eo vertebatur, quod Patres Dominicani vellent Deum agnoscere in *decretis* suis absolutis ac intrinseca virtute gratiae per se efficacis, quidquid homo facturus sit, si haec ipsi gratia conferatur; ideoque inutile saltem contendebant esse scientiam mediam : Theologi autem Societatis, quamvis in variis discrepant a MOLINA, cum tamen universim nullam agnoscerent gratiam, quae per se et natura sua physice sit conjuncta cum effectu, negabant consequenter, Deum certo videre posse futuros actus salutes in decreto dandi gratiam efficacem; sed necessarium cum MOLINA statuebant, ut prius prioritate quadam rationis, per scientiam mediam perspiceret quid actura esset voluntas, si talis et talis gratia ei concederetur; ex quo capite quicumque Thomistis aut aliis etiam, qui gratiae per se efficacis necessitatem postea restrinxerunt ad praesentem naturae lapsae statum, opponuntur, generali nomine *Molinistae* ab Adversariis vocantur. Quamvis itaque scientiam mediam *directam* dixerimus eam cognitionem, qua Deus sine ullo decreto actuali praevidet, quidquid creata voluntas sub quacumque conditione constituta esset libere factura, quaestionem tamen pro-

positam, ad actus voluntatis salutes vel malos restrictam, praecipue versabimur.

147. *Dico.* Datur in Deo scientia media *directa*, sive Deus certo cognoscit salutaria voluntati creatae libera conditionate futura, in seipsis, et non in decreto praedeterminante vel condeterminante, aut dandi gratiam *per se* efficacem.

Prob. I. Ex Scriptura. Christus Matth. 11. et Luc. 10. justissime increpat Judaeos comparative ad Tyrios, propterea quod illi poenitentiam non egerint, cum Tyrii eam egissent, si eadem vidissent miracula, eademque auxilia interna habuissent : Sed haec increpatio injusta foret, si scientia conditionata de futura Tyriorum poenitentia sub conditione miraculorum et auxiliorum eorundem fundaretur in decreto praedeterminante vel condeterminante aut dandi gratiam ex se efficacem; ergo. *Min. prob.* Injusta est increpatio comparativa quando datur ingens disparitas in auxiliis omnino necessariis ad operationem, adeo ut unus ea omnia habeat, et alius non habeat, ex solius increpantis arbitrio; quia vis memoratae reprehensionis stabat in eo, quod non sit potior ratio, ut Tyrii converterentur visis miraculis, quam ut sub eadem conditione convertantur Judaei : Sed si scientia conditionata de futura Tyriorum poenitentia fundaretur in dicto decreto, Tyrii quidem ex solius Dei arbitrio habuissent praedeterminationem aut gratiam *per se* efficacem tanquam omnino necessariam ad poenitentiam, Judaei vero non habuerunt hoc auxilium praedeterminans aut *ex se* efficax; cum, si habuissent, infallibiliter omnino egissent poenitentiam; ergo. Hinc vero etiam patet, quod Judaei potuissent se justissime excusare et respondere Christo : Domine, si Tyrii tua miracula viderent, essent ad poenitentiam agendam physice praedeterminati; haberentque praeter auxilia, quae nobis donata sunt, aliud fortius irresistibile et omnino necessarium, quo nos caremus occulto Dei judicio : cur ergo nos increpas, quod visis miraculis non egimus poenitentiam, per comparisonem ad Tyrios? Increpatio autem justa esse nequit, cui justa obtendi potest excusatio.

Conf. 1º. Si statuatur poenitentia Tyriorum conditionate futura unice esse cognita in decreto praedeterminante, Christus non potuit Judaeos objurgare, nisi vel 1. quia poenitentiam sine praedeterminatione physica non egerunt; vel 2. quia praedeterminatione ad poenitentiam agendam caruerunt : sed neutram ob causam poterat objurgatio esse justa. Non quidem ob 1^{am}. quia nemo juste objurgatur, quod poenitentiam non agat eo modo, quo cum agi est impossibile : sed impossibile erat, ut Judaei sine praedeterminatione agerent poenitentiam; ergo. Neque ob 2^{am}. quia rursus nemo objurgatur juste, quod careat re, cujus habendae vel acquirendae liberam potestatem non habet : talis vero res est praedeterminatio physica secundum Thomistarum principia; ergo. Hinc Judaei Christo increpanti ulterius potuissent juste reponere : Domine, vel vis ut sine praedeterminatione poenitentiam agamus, vel ut cum illa : si *primum*, petis quod et nobis et Tyriis est simpliciter impossibile, cum sine praedeterminatione poenitentiam agere non minus, imo magis repugnet, quam sine alis volare; si *secundum*, da nobis praedeterminationem, sicut eam daturus esses Tyriis, et tunc, si poenitentiam non agamus, quam illi essent acturi, objurga nos, quantum libet.

Conf. 2º. Objurgatio unius praeter altero nec justa nec seria est, si is, qui

objurgatur, se quidem vituperabilem reddat, sed in iis circumstantiis, in quibus alter non objurgatus se quoque vituperabilem redderet, ubi in eadem incidere; et e contra si objurgatus se redderet laudabilem, ubi versaretur in iis circumstantiis, in quibus positus alter se reddit laude dignum: sed in Thomistarum systemate hoc accidit respectu Judæorum et Tyriorum; nam Tyrii non magis egissent pœnitentiam, quam Judæi, si pariter destituti fuissent gratia prædeterminante; et e contra Judæi tam egissent pœnitentiam, quam acturi erant Tyrii, si pariter gratiæ prædeterminantis auxilio instructi fuissent; ergo.

Prob. II. ex PATRIBUS. Plurimi Patrum contra *Manichæos* tractant quæstionem, cur Deus angelos et homines produxerit, posueritque in circumstantiis ejusmodi, in quibus illos peccaturos certo præviderat; ergo agnoscunt aliquam in Deo de futuris angelorum et hominum peccatis præscientiam, quæ ipsum a decreto absoluto eosdem producendi et in talibus circumstantiis ponendi retrahere potuit, quamvis de facto non retraxerit; quia quæstionem hanc non solvunt negando, Deum eam scientiam habere, ut tamen negare debuerunt, si existimassent Deo illam non inesse; sed alias rationes afferunt, ut contra *Manichæos* ostendant, Deum per suam præscientiam et productionem non esse causam, cur angeli et homines peccent, statuuntque pro illorum peccatis propriam ipsorum libertatem, quam Deus, sicut non tenetur, ita ob fines suæ providentiæ sanctissimos noluit impedire. Atqui hæc scientia omnino est *media*, cum nulla alia scientia assignari queat, quæ Deum ab illo decreto retrahere valeat.

Nam 1º. non est scientia *visionis* absoluta, qua illos absolute peccaturos videt; quia hæc scientia decretum absolutum angelos et homines creandi, eorumque peccata permittendi supponit, ipsoque est posterior, adeoque Deum ab eodem decreto retrahere nequit; cum sicut prius non pendet a posteriori, sic neque per ipsum impediri potest. Præterea si absoluta peccati futuri præscientia posset Deum a decreto absoluto Luciferum peccatum creandi retrahere, etiam posset tam cum carentia hujus decreti quam cum ipso decreto reipsa conjungi, atque hinc dari scientia absoluta de futuro Luciferi peccato sine ullo peccato hoc permittente decreto absoluto et actuali; quod falsum omnino est et maxime in Thomistarum sententia.

Nec 2º. est scientia *conditionata* in decreto objective conditionato fundata, quo Deus vellet angelos et homines ad actum peccati prædeterminare, si illos produceret; quia si Patres decretum hujusmodi agnovissent, objectionem Hæreticorum reliquissent insolutam: cum enim hi Deum arguerent peccati auctorem, si homines crearet, quos peccaturos prævideret, majore fundamento id arguissent, si Deus futura illorum peccata non prævideret, nisi in decreto conditionato illos determinandi ad actum peccati; atque hinc Patres potius laborare debuissent, ut ostenderent, Deum non fore auctorem peccati, etsi tale decretum habuisset. Præterea Deus de facto habuit decretum absolutum creandi angelos et homines, eosque, ut Thomistæ volunt, prædeterminandi ad materiale peccati; ergo de facto non habuit illud decretum conditionatum; cum in illorum systemate decreta conditionata tantum locum habeant circa effectus nunquam absolute futuros, decreta autem simpliciter absoluta sufficiant pro eventibus absolute futuris.

Nec 3º. est scientia *necessaria*, qua Deus videt futura angelorum et homi-

num peccata, si illos ad materiale peccati prædeterminaret; quia Patres alias non potuissent peccata futura refundere in solam angelorum et hominum libertatem, sed debuissent ea referre ad divinam prædeterminationem; utpote quam illi evitare non poterant, et cum qua non peccare impossibile illis fuerat.

Conf. 1º. ex S. AUG. qui gratiam efficacem explicat per vocationem congruam, h. e. collatam in his circumstantiis, in quibus prævisa est habitura effectum; L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 13. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem.* Item: *Illi electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati.* Et infra: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ex his enim sic arguo: 1. Specialis Dei misericordia erga electos in eo stat juxta S. AUG., quod ipsos vocet vocatione congrua, et cui videt illos obtemperaturos: sed hoc nec esse potest sine scientia *media*, nec cum scientia conditionata decreto efficaci innixa; quia innixa ejusmodi decreto scientia consistit in gratia intrinsece efficaci, non autem in congrua tantum et conducente ad voluntatis consensum cum gratia; ergo. 2. Juxta AUG. specialis misericordia Dei erga electos contraposita ad non electos, scientiam conditionatam consequitur; quia ex ea dirigitur Deus ad vocandum, *quomodo scit congruere*, cum possit vocare, quomodo scit non congruere: sed si scientia conditionata fundaretur in decreto sæpius dicto, non consequeretur misericordia scientiam, sed præiret; ergo. 3º. Juxta eundem, qui non attemperantur vocationi, non sunt electi, quia non secuti: sed hæc causalis foret falsa; cum electi non essent, quia Deus efficaciter non decrevit ut vocationem sequerentur; ergo.

Conf. 2º. D. THOMAS p. 3. q. 1. a. 5. ad 2. cum retulisset Augustini verba L. de don. persev. c. 9. n. 23. ex eodem hanc doctrinam statuit: *Deus his, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subvenire, aliis autem non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed aliud juste judicavit.* Ergo posita illa conditionata prævisione de illorum fide, Deus adhuc potest subvenire et non subvenire; ergo illa prævisio non fundatur in decreto, quod sit subventio prædeterminans aut de se efficax.

Prob. III. ex RATIONIBUS. 1ª est *a priori*. Divina cognitio conditionata de pœnitentia Tyriorum, ab ipsorum voluntate determinabilis in existendo, est scientia *media* et independens ab omni actuali decreto, ut patet; sed datur in Deo talis cognitio: certum enim est, quod si Tyrii velint facere pœnitentiam sub conditione miraculorum, extitura sit Dei cognitio de ipsa conditionata pœnitentia; et quod non sit hæc cognitio extitura, si non velint agere pœnitentiam; quod ipsum est cognitionem Dei esse Tyriis determinate liberam, seu ab eorum voluntate determinabilem in existendo; ergo.

2ª est *a posteriori*. Juxta Thomistas, si agatur v. g. de conversione alicujus infidelis ad fidem, ponitur hic ordo decretorum: 1º. Deus absolute decernit et vult hunc fieri fidelem: 2º. Decernit et eligit ad hunc finem medium per se et ex natura sua efficax seu determinans ad talem effectum per physicam præmotionem: 3º. Effectus iste infallibili consecutione est reipsa futurus, et ut talis scientia absolute certa cognoscitur in prævio decreto. Jam vero hic

procedendi modus videtur omnino contrarius libertati. Nam *primum* decretum, quod supponitur antecedens et efficax, atque hinc difficulter cum libertate conciliatur, eatenus tantum intelligitur libertati non nocere, quatenus Deus in illius executione se attemperat conditioni naturæ liberæ: sed nec Deus in executione se attemperat libertati, cum *secundum* decretum non minus sit absolutum antecedens et efficax, quam erat *primum*; ergo. Deinde hic ordo ostendit Deum cæco modo ac improvide decernere, ut hic homo fiat fidelis. Nam si decretum actuale *primum* non præcedat scientia media, Deus in illo signo priori nesciret, an homo, qui ratione suæ libertatis gratiæ potest consentire vel dissentire, esset vel non esset consensurus; tum quia id scire nequit per scientiam *simplicis intelligentiæ*, cum per illam solâ cognoscantur possibilis vel conditiones necessariæ, non vero contingentia conditionate futura hominibus libera: tum quia id non scit per scientiam *visionis*, utpote quæ sequitur *primum* decretum: tum neque id scire potest per scientiam *conditionatam* fundatam in decreto objective conditionato; propterea quod partim admitteretur scientia quædam inter simplicem intelligentiam et visionem media; partim admitteretur scientia hæc conditionata pro futuris absolute eventibus, cum tamen Thomistæ eam pro solis mere conditionate futuris statuunt; partim in illâ scientia non videretur actus creaturæ liber, sed necessarius et ad unum antecedenter determinatus.

3^a est ex *facta hypothesisi*. Supponi enim potest 1^o. Non existere decreta illa Thomistica solum ex parte actus seu subjective absoluta, præsertim circa conditionate futura, quorum conditio pendet a solo Deo. *Ratio* est, quia si illa decreta existant, libere existunt; adeoque sic existunt, ut possent non existere: quod autem sic existit, ut posset non existere, potest etiam supponi non existere; ergo. 2^o. Hac suppositione etiam facta, possunt tunc formari hæc propositiones conditionales contradictoriæ: si Christus prædicasset Tyriis, pœnitentiam egissent; si Christus prædicasset Tyriis, pœnitentiam non egissent: unaque earum determinate est vera, altera falsa. *Ratio primi* est, quia harum propositionum possibilitas, sicut rerum aliarum possibilitum, est independens ab omni decreto divino actu existente. *Ratio secundi* est, quia Tyrii, Christo apud illos prædicante, vel egissent pœnitentiam, vel non egissent, cum inter hæc non detur medium: si vero egissent pœnitentiam; prima propositio determinate vera est, et secunda falsa: si non; secunda determinate est vera, prima falsa. 3^o. In suppositione illa facta adhuc habetur contingens et libera futuritio conditionata pœnitentiæ vel impœnitentiæ Tyriorum. *Ratio* est, quia hoc ipso habetur contingens et libera futuritio conditionata alicujus actus, quod vere dici possit: hic actus libere esset vel futurus esset, si esset vel futura esset aliqua conditio; cum actum conditionate futurum esse nihil aliud sit, quam illum verificare posse propositionem hujusmodi, quia hoc ipso habet veritatem objectivam: sed in facta suppositione, ut patet ex 2^a hypothesisi, de alterutro actu, h. e. de pœnitentia vel impœnitentia Tyriorum vere dici et enuntiarî posset: esset aut futura esset, si esset vel futura esset talis conditio; ergo. His præsuppositis sic arguo: objectum scientiæ de contingentibus conditionate futuris non dependet a dictis decretis; ergo nec ipsa scientia; cum hæc non nisi ratione objecti ab illis dependeat. *Prob. A.* Objectum hujus scientiæ est contingens et libera futuritio conditionata; ut per se patet: sed hæc futuritio nullatenus dependet

ab his decretis; quia habetur, etsi supponantur decreta illa non existere, ut ex hypothesisi 3^a liquet; ergo.

4^a est ad hominem et ex Thomistarum principiis, inter quæ unum est, in positione conditionis v. g. miraculorum Christi ad pœnitentiam Tyriorum importari decretum Dei, ita ut illa conditio sic exponatur: si decrevissem miracula fieri apud Tyrios; alterum est, nullum dari decretum indifferens, et nullum finem obtineri posse per aliquod medium, nisi hoc sit exhibitum ex efficaci intentione talis finis: ex quo sequitur, illud decretum in conditione importatum debere concipi ut efficaciter a Deo prævolitum, vel ut deserviret ad pœnitentiam, vel ut ad hanc non serviret. Jam sic arguuntur: Deus in decreto suo *subjective* absoluto et *objective* conditionato nequit ut conditionem assumere miracula, nisi ut facienda vel intentione connexa cum pœnitentia, vel ex intentione impossibili cum illa; ut patet ex allatis principiis: sed quocumque sine dicantur facienda miracula, repugnat decretum memoratum; ergo non datur, nec in eo futurum conditionatum præscribi potest. *Min.* patet; quia imprimis repugnat, quod Deus decernat pœnitentiam, sub conditione miraculorum faciendorum ex efficaci intentione, ne prosit ad pœnitentiam, cum sub tali conditione pœnitentiam impossibilem esse appareat: deinde etiam repugnat, quod Deus decernat pœnitentiam sub conditione miraculorum faciendorum ex intentione efficaci, ut sequatur pœnitentia; quia existere pœnitentiam, si fiant miracula per efficacem intentionem pœnitentiæ, est veritas necessaria: sed de hac repugnat decretum quocumque, maxime liberum; quia veritas necessaria antecedit omne decretum, nec Dei *arbitrio* subest; ergo.

148. *Obj. I.* Admissa prædeterminatione vel gratia per se efficaci, nihilominus justa fuit objurgatio Christi comparativa Judæorum cum Tyriis; 1^o. quia Judæi fuerunt Tyriis pares vel forte superiores quoad *actum primum* et potentiam pœnitendi, seu sufficiens auxilium, licet fuerint inæquales quoad *actum secundum* et auxilium efficax; cum decretum et gratia prædeterminans non det posse, nec pertineat ad actum primum, sed solum det agere, et teneat se ex parte actus secundi. 2^o. quia Judæorum *culpa* factum est, quod non fuerint conversi; cum caruerint prædeterminatione, vel quia majora quam Tyrii peccata commiserunt, et sic majus conversioni opposuerunt impedimentum; vel quia gratiæ prævenienti resisterunt, aut non, sicut Tyrii fecissent, se ab ea moveri siverunt.

R. N. Ass. et prob. 1^{am}. tum quia in ordine operandi non datur medium inter *actum primum*, qui est causa operationis, et inter *actum secundum*, qui est formalis operatio; cum ergo gratia prædeterminans secundum Thomistas non sit formalis operatio, sed ejus causa, non pertinet ad actum secundum, sed ad primum; adeoque Judæi illa carentes non erant quoad *actum primum*, et quoad posse Tyriis æquales: tum quia sicut Deus injuste præciperet Judæis posse converti, si pro solo suæ voluntatis beneplacito ipsis negaret aliquod essenziale requisitum ad posse; sic pariter injuste præciperet illis pœnitentiam agere, si illis simili modo negaret gratiam prædeterminantem, quæ est essentialiter prærequisita ad agere. Unde permissio etiam illo, quod prædeterminatio non constituat actum primum proximum, sed in principiis Thomistarum sit indispensabilis applicatio

potentiæ ad actum vires efficacissimas voluntati tribuens, increpatio Christi redderet hunc sensum: Væ tibi, Corozain! quia si Tyrii ultra gratiam, quam tu accepisti, accepissent applicationem indispensabilem et vires ad pœnitentiam efficacissimas, egissent pœnitentiam; quæ sane ridicula et injusta foret increpatio.

Similiter *ad prob. 2^{am}. N. Ass.*, tum quia in systemate Thomistarum prædeterminatio nec obtineri ab homine, nec impediri potest: tum quia, quamvis juxta S. Aug. L. de don. persev. c. 14. n. 35. Tyrionum oculi non erant ita excæcati, nec cor adeo obduratum ut Judæorum; tamen, ne ita excæcarentur et obdurarentur, vel ut excæcatio et obduratio tolleretur, necessaria ipsis erat juxta eundem L. de prædest. SS. c. 8. n. 13. gratia illa, quæ a nullo duro corde respuitur, et quæ secundum Thomistas est *per se* efficax ac prædeterminans; adeoque non sua culpa, sed ex defectu gratiæ impedimentum hoc habuerunt, vel non removerunt: tum quia illa non resistens seu facilitas se permittendi motibus divinæ gratiæ, est actus voluntatis bonus et salutaris, ad quem habendum exigunt rursus Thomistæ prædeterminationem, adeoque Judæi obtendere poterant, se gratiæ sufficienti obstulisse, nec se permisisse, quia destituti erant efficaci et prædeterminante.

Inst. 1. Admissa etiam scientia mediâ, objurgatio Christi non fuit justa, si requiratur æqualitas gratiæ. Nam juxta principia etiam *Molinistarum* ad pœnitentiam reipsa agendam necessaria est gratia efficax: sed hanc gratiam non habuerunt Judæi, Tyrii autem essent accepturi; ergo et hic caruerunt Judæi aliqua gratia necessaria, qua Tyrii non essent carituri.

R. Ad prob. D. M. Ad pœnitentiam reipsa ponendam necessaria est gratia efficax, quæ ut talis novam gratiæ prævenientis entitatem a gratia sufficiente distinctam importat *N.* quæ ut talis entitati gratiæ sufficientis solum voluntatis consensum superaddat *C. M.* et *D. min.* Judæi non habuere gratiam efficacem ut prævenientem seu secundum entitatem, et omnia prævenientis gratiæ auxilia ad pœnitentiam essentialiter requisita *N.* non habuere gratiam efficacem ut operantem *subd.* ex defectu auxilii necessarii ad habendam ejus operationem *N.* ex defectu propriæ cooperationis *C.* In systemate nostro gratia efficax in *actu primo* seu ut præveniens et ad pœnitentiam prærequisita, entitative et intrinsece non differt a gratia sufficiente; et sub hac ratione Judæi non caruerunt gratia efficaci: gratia vero efficax in *actu secundo* seu ut operans, respectively ac extrinsece differt a mere sufficiente per hoc, quod cum efficaci conjungatur actualis consensus et cooperatio, quæ est in libera hominis potestate; et hanc Judæi non habuerunt, quia ipsi libere non consenserunt seu non conjunxerunt suam operationem, uti tamen facturi erant Tyrii, si illis entitas gratiæ data fuisset. Hinc vero patet, justissimam fuisse in hoc systemate increpationem Christi, utpote quæ facit hunc sensum: Væ vobis, Judæi! quia vos voluntaria obstinatione inefficacem redditis meam gratiam, quam Tyrii, si ipsis exhibita fuisset, voluntaria cooperatione reddiduri essent efficacem. Contrarium sequitur ex doctrina adversariorum, qui entitatem et vires diversas tribuunt gratiæ efficaci et sufficienti.

Inst. 2. Gratia efficax in illis principiis licet non sit gratia sufficiente major *physice* et in ratione entitatis, est tamen major *moraliter* et in ratione beneficii: sed Deus juxta nos decreverat dare Tyriis gratiam efficacem, eamque de facto decrevit non dare Judæis; ergo decreverat dare Tyriis

gratiam moraliter et in ratione beneficii majorem, quam quæ data est Judæis; ergo moraliter saltem et in ratione beneficii inæquales erant.

R. 1^o. N. 1^{am}. part. min. Quamvis juxta omnes verum sit, et ex eventu pateat, quod Deus decreverit Judæis non dare gratiam efficacem; nullum tamen habetur fundamentum dicendi, quod Deus acti decreverit dare Tyriis gratiam efficacem; imo cum adhuc ostensum fuerit, scientiam mediam non fundari in decreto actuali, et præterea non fuerit reipsa a Tyriis posita pœnitentia; sequitur, a Deo nec ante, nec in, nec post scientiam mediam de futura sub conditione tantum pœnitentia Tyrionum fuisse aliquid actu decretum. Quia tamen loco *minoris* a nostris principiis penitus alienæ et falsæ potest substitui hæc: sed Tyrii de facto habuere in statu conditionato gratiam efficacem, quam Judæi in statu absoluto non habebant; hinc

R. 2^o. D. M. Gratia efficax est moraliter et in ratione beneficii major sufficiente, quando a Deo absolute datur *C.* quando absolute non datur. *N. M.* et *D. min.* Tyrii in statu conditionato gratiam habuerunt et simul in statu absoluto ea illis fuit data *N.* non fuit data *C.* Gratia efficax absolute data, est gratia quam Deus confert in signo posteriori ad scientiam mediam de futuro consensu sub hac gratia, et cum absoluta intentione consensus absolute futuri; patet autem hoc esse *moraliter* majus beneficium, quam si Deus dat gratiam, cui hominem dissensurum prævidet; gratia autem efficax in statu conditionato est gratia sufficiens, quæ per scientiam mediam prævidetur effectum habitura, si daretur; ex hoc autem præcise necdum habetur ratio *specialis beneficii* præ gratia pure sufficiente, cum illa gratia, ut talis, sit indifferens ut a Deo conferatur vel non conferatur. Itaque Tyrios in statu conditionato gratiam efficacem habuisse solum significat, illos fuisse gratiæ sufficienti consensuros, si eam habuissent, et sic habituros fuisse gratiam efficacem; hoc vero non est beneficium speciale Tyriis præ Judæis esse concessum; præsertim cum Judæi pariter sub eadem gratia sufficiente prævideri poterant pœnitentiam acturi, et solum propter voluntariam obstinationem non prævisi sunt acturi pœnitentiam. Si tamen transferatur argumentum ad statum utrinque absolutum, et petatur, cur pro diversis possit esse inæqualitas gratiæ in ratione beneficii, non autem in ratione auxilii, quin tollatur æqualitas objurgationis;

R. 3^o. Disparitas est, quia in *primo* casu manent eadem vires gratiæ et potentia in utroque homine: juste autem increpatur unus præ altero, quoties unus non agit bonum cum iisdem viribus et potentia, quibuscum alter agit: in *secundo* autem casu habentur in uno majores vires et potentia, dum in altero vel minora hæc omnia sunt, vel etiam deest aliquod ad operandum omnino necessarium, ut docent Prædeterminantes; non potest autem juste objurgari posterior, si non agat bonum, ad quod agendum minores vires et potentiam habet, aut caret necessario ad agendum auxilio.

Inst. 3. In hoc systemate Tyrii habuissent concursum in *actu secundo*, quo Judæi caruerunt; item habuissent gratiam, cui Deus præviderat esse consensuros, qua rursus caruerunt Judæi; ergo fuerunt Judæi inæquales Tyriis.

R. D. Cons. Judæi fuerunt Tyriis inæquales quoad auxilii entitatem ac intrinsecam *N.* quoad auxilii rationem moralem et extrinsecam *subd.* ita tamen, ut id attribuendum sit voluntati Judæorum, qui noluerunt agere *C.* ita ut nihil ejusmodi ex eorum parte intervenerit *N.* Cum Judæi non minus ha-